

juxta ordinem dignitatis in Rubricis præscriptum Tit. X, n. 1, et XI, n. 2. Si denique utrumque fuerit ejusdem dignitatis, Festum magis proprium minus proprio præferatur.

II. Si ex duobus Festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die natalitia, aliud in quasi-natalitia, illud ceteris paribus huic præferatur. Si vero quod est in die quasi-natalitia fuerit potioris ritus, aut æqualis quidem sed proprium, vel primarium, vel potioris dignitatis, alteri præferatur, quod die prima libera reponetur juxta Rubricas.

III. Si ex duobus Sanctis, quorum alter antiquus, alter novus, unus sit in die natalitia aut quasi-natalitia, alius in die assignata, seu non-propria aut tanquam-propria; ille, ritu, ratione primarii, atque etiam dignitate posthabitis, præferatur huic, qui prima die libera reponendus erit juxta Rubricas.

IV. Si duo Officia, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die assignata; antiquum novo præferatur, quamvis nobiliori, vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam, aut ratione primarii, vel dignitate posthabitis. Cum nihilominus perpetuum alicujus Ecclesiæ Calendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis, ac prioritas translationis.

V. Quemadmodum autem pro die natalitia Sanctorum illa est intelligenda, qua iidem Sancti æternam ingrediuntur vitam, atque illa pro quasi-natalitia, quam S. Sedes eligit extra natalitiam ad liturgica Festa recolenda; ita S. Rituum Congregatio declarat, illam intelligendam esse pro die assignata, quæ prima post propriam libera fixe in Calendario juxta notas concurrentiæ leges ab Ordinario inscribitur, sicuti pro translata illam, quæ pariter post impeditam prima a Calendariorum Ordinatoribus ad annum libera reperitur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.»

Quanti sit momenti hoc Decretum nemo non videt, et quam fuerit opportunum, quo præveniuntur plura dubia antiquitus sæpissime oborta ubi novum Festum instituebatur celebrandum.

Occurrunt in hoc Decreto plures definitiones quæ elucidatæ fuerunt in præcedentibus Quæstionibus super Festis; nempe,

de Festorum qualitate (QQ. 104, III, et 108), de eorum dignitate (Q. 104, IV), de Festis magis propriis et minus propriis (Q. 113), de Festorum translatione (QQ. 167-171), de eorum mutatione et assignatione (QQ. 173-177), de Sanctorum die natalitia et quasi natalitia (Q. 110), de Sanctorum die propria et non propria seu tamquam propria (Q. 110). Exempla ad diversas has Quæstiones proposita præsentis Decreti normas sufficienter elucidant ut non sit necessarium hic iterum exempla proponere.

Q. 179. *Cujus est Festorum mutationem, aut Officiorum assignationem indicare aut approbare?*

R. Festum mutare solus Summus Pontifex, aut S. Rituum Congregatio potest (Q. 174).

Officii assignatio autem fieri aut saltem approbari semper debet ab Episcopo loci Ordinario, justificatis apud ipsum Officiorum repositorum numero et causis, dierumque assignatarum ordine et qualitate. (S. Rituum Congregatio, Decret. 21 Novembris 1893, n. 3811, ad V.)

Imo ex citato Decreto eruitur posse Episcopum etiam novam sui Diocæsani Calendarii perpetui reformationem peragere, si forte Officia assignata non fuissent rite apposita; servatis in casu ad amussim normis in Decreto propositis. — Non potest vero Episcopus, sine licentia S. Sedis, suum Calendarium perpetuum novis Officiis ditare. (Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 699, 700.)

CAPUT II

DE CONCURRENTIA

§ I De effectibus Concurrentiæ

Q. 180. *Explicite quid intelligatur per Concurrentiam.*

R. Concurrentia dicitur illa Officiorum successio, qua secundæ Vesperæ unius Officii simul obveniunt cum primis Vesperis Officii sequentis diei. Cum enim Officia ritus duplicis et semiduplicis jus habeant ad duas Vesperas, primas nempe et secundas (Q. 102), hinc, quando duo ejusmodi Officia sese proxime consequuntur, Vesperæ secundæ Officii præcedentis et Vesperæ primæ Officii sequentis de jure pariter recitari deberent; datur con-

flictus inter duas istas Vesperas, ex quo necessaria nascitur aliqua compositio seu ordinatio, ne duæ Vesperæ integræ sint recitandæ.

Hic Vesperarum conflictus, earumque compositio vocatur « Concurrentia », quæ vox in Rubricis hanc specialem habet significationem, ab illa diversam qua communiter apud Latinos intelligitur.

« Concurrentia Officii attendenda est in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum Officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur Officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis cum sequenti in primis. » (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 1.)

Exemplum : die 13 Junii, celebratur Festum duplex S. Antonii de Padua, Confessoris; die sequenti 14 Junii, celebratur Festum item duplex S. Basilii Magni, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris; Officium S. Antonii dicitur concurrere cum Officio S. Basilii; eadem enim die 13 Junii Festum S. Antonii exigit suas secundas Vesperas, et Festum S. Basilii suas primas Vesperas.

Hujusmodi Concurrentia a quibusdam auctoribus dicitur activa, quæ, se tenet ex parte secundarum Vesperarum Officii præcedentis, quod proprie cum sequenti concurrat; et passiva, quæ se tenet ex parte primarum Vesperarum Officii sequentis, cum quibus Vesperæ præcedentis concurrunt. In exemplo allato Officium S. Antonii concurrat active cum Officio S. Basilii; Officium S. Basilii autem concurrat passive cum Officio S. Antonii.

Q. 181. Quotuplex distinguitur Concurrentia? Explica.

R. Duplex distinguitur Concurrentia : **accidentalis** nempe, et **perpetua**.

Accidentalis est Concurrentia duorum Officiorum, quorum unum est fixum, alterum mobile, vel accidentaliter translatum, aut utrumque est mobile; ita si concurrat 5 Junii Officium mobile SS. Cordis D. N. J. C. cum Officio S. Norberti, Episcopi et Confessoris, cujus Festum fixum celebratur 6 Junii, Concurrentia erit accidentalis tantum, quia non singulis annis Festum mobile SS. Cordis celebratur 5 Junii.

Perpetua dicitur Concurrentia duorum Officiorum quæ fixam habent in determinata mensis die sedem, in Calendario indicatam; datur ejus exemplum in Quæstione præcedenti.

Nonnumquam tamen fieri poterit, ut ex Occurrentia accidentali præstantioris Officii cum uno vel utroque horum Officiorum, huic perpetuæ Concurrentiæ aliquando locus detur.

Q. 182. Quis est effectus Concurrentiæ?

R. Effectus Concurrentiæ, ut ex dictis patet, totus est in Vesperis; — ita ut Vesperæ vel integræ fiant de alterutro Officiorum concurrentium, idque cum aut sine Commemoratione alterius; — vel inter utrumque Vesperæ dimidientur, ita nimirum, ut Psalmi cum Antiphonis sint de præcedenti, seu de Officio currentis diei, Capitulum vero cum reliquis fiat de sequenti, seu de Officio sequentis diei, cum Commemoratione præcedentis.

Integræ fiunt Vesperæ secundæ de Officio active concurrente, si altero passive concurrente Officio sit majus; aut integræ Vesperæ primæ de passive concurrente, si quod sequitur Officium sit majus Officio active concurrente; regulariter Vesperæ dividuntur seu dimidiantur, si active concurrens Officium sit alteri passive concurrenti æquale.

Q. 183. Quæ Officia Concurrentiæ locum præbent?

R. 1^o **Festa duplicia et semiduplicia**, cum utrasque, primas scilicet et secundas habeant Vesperas, utrique Concurrentiæ, activæ et passivæ, locum præbere possunt.

Idem dicendum est de Officiis votivis pro diversis hebdomadæ diebus liberis concessis, de quibus agitur § 7 Sectionis I hujus tertiæ Partis.

Festa Simplicia non concurrunt active, sed passivam tantum habent Concurrentiam: incipit enim eorum Officium a Vesperis, et terminatur ad Nonam (cfr. Q. 102). De Festo simplici dicit Rubrica (Tit. XI, n. 8): « Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis), quia non habet secundas Vesperas, sed

ejus Officium terminatur ad Nonam, et deinceps nihil fit de eo, nec Commemoratio.»

2° *Dominicæ* tam active quam passive concurrere possunt; verum est, *Vesperas* quæ in *Psalterio* describuntur de *Dominica*, esse ejusdem *Vesperas* tantum secundas, et nullas de *Dominica* reperiri inscriptas tamquam *Dominicæ* primas *Vesperas*; habent tamen aliquo modo suas primas *Vesperas*, eas nempe quæ in *Psalterio* describuntur tamquam *Vesperæ Sabbati* (cfr. Q. 126).

3° *Feriæ* nullam proprie habent *Concurrentiam*; incipit enim earum Officium a *Matutino* (Q. 102); habent quidem *Vesperas* unicas, dictas secundas (Q. 102), sed cum locum cedant cuicumque Officio, ibi desinit earum Officium, ubi incipit aliud a quo impediuntur, adeo ut omnis *Concurrentia* activa *Feriæ* sit impossibilis.

Equidem si Officio *Feriæ* subsequitur Officium Festi simplicis, quod habet primas tantum *Vesperas*, dicuntur *Psalmi Feriæ*, et a *Capitulo* fit de Festo simplici; sed ibi non haberi *Vesperarum* ex *Concurrentia* æqualium divisionem, seu dimidiatas *Vesperas* (Q. 182), patet ex eo quod nulla fiat *Feriæ* in his simplicis Festi *Vesperis* Commemoratio.

Quod autem *Feriarum* majorum in *Adventu* et in *Quadragesima* semper fiat in *Vesperis* Commemoratio, id non contingit ratione *Concurrentiæ*; sed ipsius temporis *Adventus* et *Quadragesimæ* privilegium est (Q. 130); fitque Commemoratio *Feriæ* majoris in *Vesperis*, non quia concurrat, sed quia occurrit.

4° *Vigiliæ*, cum a *Matutino* incipiat earum Officium, et ad *Nonam* terminetur, nullum dant locum *Concurrentiæ*. Una excipitur *Vigilia Epiphaniæ* (cfr. QQ. 134 et 135), cujus pridie fit Commemoratio.

5° *Dies Octavæ*, cum sint ritus duplicis minoris (Q. 142), et habeant primas et secundas *Vesperas* (Q. 145), utroque modo activo et passivo concurrere possunt.

Dies infra Octavas vero, cum *Festa* minime sint, sed continuatio unius ejusdemque Festi, cujus scilicet Officium per singulas infra *Octavam* dies repetitur a *Matutino* usque ad *Completorium*, cumque inde proprie primas *Vesperas* non habeant, sed tantum unicas, di-

ctas secundas (Q. 102), certe nullam inter se habere possunt *Concurrentiam*; unde si hodie Officium fit de die infra aliquam *Octavam*, et item crastina die, etiam si hæc Officia æqualia sint, dicentur tamen hodie integræ *Vesperæ* de hodierna die infra *Octavam*, ut in secundis *Vesperis Festi*, nulla facta divisione, aut Commemoratione ratione diei infra *Octavam* cujus crastina die Officium subsequitur (Q. 145).

Concurrere possunt active cum *Vesperis* primis cujuslibet Festi et *Dominicæ* quæ sequuntur. Concurrere passive non possunt cum *Vesperis* secundis Festi duplicis et semiduplicis, aut *Dominicæ* quæ præcedunt, nisi improprie, ut explicatur in *Quæstione* sequenti.

Q. 184. *Modo dictum est diem infra Octavam non posse concurrere passive cum præcedenti Officio duplici vel semiduplici; attamen in tali casu Breviarium præscribit, in secundis Vesperis Officii duplicis, aut Dominicæ, faciendam esse Commemorationem sequentis diei infra Octavam; item in Vesperis præcedentis Officii Festi primarii semiduplicis. Quomodo hoc explicatur?*

R. Ad *Quæstionem* seu objectionem in *Quæstione* positam bene intelligendam, prius dare juvat duo exempla ex *Directorio* desumpta:

I. Die 10 *Septembris*, celebratur Festum duplex *S. Nicolai de Tolentino, Confessoris*; occurrit dies infra *Octavam Nativitatis B. Mariæ V.*, cujus Commemoratio fit in *Laudibus*; sequitur, 11 *Septembris*, Officium de 4 die infra *Octavam Nativitatis B. Mariæ V.*, semiduplex; indicantur in *Directorio* pro die 10 *Septembris*, *Vesperæ* secundæ integræ de Festo duplici *S. Nicolai*, cum Commemoratione Officii semiduplicis *Octavæ*.

II. Die 2 *Septembris*, celebratur Festum semiduplex *S. Stephani, Hungariæ Regis, Confessoris*; occurrere potest in nostra *Diecepsi* dies infra *Octavam SS. Angelorum Custodum*, cujus Commemoratio fit in *Laudibus*; sequitur, 3 *Septembris*, Officium de die infra *Octavam SS. Angelorum*, semiduplex; indicantur in *Directorio* pro die 2 *Septembris*, *Vesperæ* secundæ integræ de Festo semiduplici *S. Stephani*, cum Commemoratione *Octavæ SS. Angelorum*.

Hæc profecto videntur habere rationem *Concurrentiæ* passivæ diei infra *Octavam* cum *Festis* quæ præcedunt.

Respondetur: licet *Rubicæ Breviarii* loquantur de *Duplici*, aut *Semiduplici*, aut *Dominica*, quæ concurrunt

cum die infra Octavam (Rubricæ generales, Tit. XI, nn. 3, 4 et 6), dicendum est hujusmodi Concurrentiam esse **improprie** dictam, et ibi non dari veram Concurrentiam; dies infra Octavam, cujus Officium tantum incipit a Matutino, quæ proinde primas Vesperas non habet (Q. 102), non potest igitur passive hic concurrere cum præcedenti. Sed, in tali casu, deficiente Officio de sequenti die infra Octavam pro Vesperis, resumitur pro hac Commemoratione facienda Officium concurrentis, seu præsentis diei infra Octavam; et ita justificatur locutio Concurrentiæ Duplicis, aut Semiduplicis, aut Dominicæ cum sequenti die infra Octavam; ideo consulto, annuntiata in tali casu Commemoratione Octavæ, additur in Directorio: ut in secundis Vesperis Festi. Est igitur Concurrentia, sed improprie dicta.

Nisi velis dicere cum quibusdam auctoribus, Vesperas diei infra Octavam, **in quibus omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi** (Rubricæ generales, Tit. VII, n. 5), nec primas esse, nec secundas, sed unicas, quæ inserviunt pro primis aut secundis, juxta quod eorum Concurrentia vel activa est, vel passiva. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 59 ad 62.)

Q. 185. *Dictum fuit Quæstione 183 Festum simplex passivam tantum habere Concurrentiam, et Feriam nullam quidem habere; quid igitur fiet si hodie celebratur Festum simplex, et cras fiat Officium alicujus Feriæ?*

R. Pro Quæstionis intelligentia sequens datur exemplum: Die 26 Octobris, celebratur Festum simplex S. Evaristi, Papæ et Martyris; dies 27 Octobris est Vigilia SS. Simonis et Judæ, Apostolorum; supponuntur hæc dies FERIA II et FERIA III in hebdomada.

Festum simplex non habet secundas Vesperas, ejusque Officium terminatur ad Nonam (Q. 102); non potest igitur active concurrere cum Officio sequenti (Q. 183); Vigiliæ Officium Feriale incipit tantum ad Matutinum (Q. 135); inde non tantum non datur hic locus Concurrentiæ in Vesperis, sed et ipsæ Vesperæ de his Officiis deficiunt.

In tali casu subintrat inter utrumque hujusmodi Of-

ficium ad Vesperas Officium Feriæ concurrentis (Rubricæ generales Tit. XI, n. 8); et in casu, terminato FERIA II ad Nonam Officio Festi S. Evaristi, et nondum incepto ad Vesperas Officio Feriale Vigiliæ quod dicitur FERIA III, sumitur Officium Feriale ipsius Feriæ II pro Vesperis hac die 26 Octobris dicendis. Ideo in Directorio in tali supposito notabitur in Festo S. Evaristi: **Vesperæ Feriales, ut in Psalterio. Oratio Dominicæ præcedentis.**

§ 2. De Regulis in Concurrentia servandis

Q. 186. *Quæ duæ Regulæ generales dari possunt pro Concurrentia duorum Officiorum?*

R. Regula prior: In Concurrentia duorum Officiorum **inæqualium**, hoc est majoris cum minori, vel minoris cum majori, dicuntur Vesperæ integræ de majori cum Commemoratione minoris; nonnumquam etiam absque ejusmodi Commemoratione, si id præstantia majoris Officii exigit.

Regula altera: In Concurrentia duorum Officiorum **in omnibus æqualium**, Vesperæ regulariter dividuntur, seu dimidiantur, adeo ut Psalmi cum Antiphonis dicantur de Officio præcedenti concurrenti, Capitulum vero cum reliquis dicatur de sequenti, addita semper Commemoratione præcedentis.

Præfatæ regulæ illustrantur in sequentibus Quæstionibus.

Q. 187. *Da speciatim regulas servandas pro Concurrentia duorum Festorum.*

R. 1^o Quando duo Festa concurrentia sunt diversi ritus, aut diversæ classis (Q. 104, I et II), Vesperæ dicuntur integræ de Festo quod præstat ritu et classe, cum Commemoratione Festi quod minoris ritus est, aut classis; nonnumquam etiam absque ejusmodi Commemoratione, si ita exigit præstantia Festi cujus dictæ fuerunt Vesperæ integræ; de qua omissione dicitur Q. 192.

Exempla: Die 1 Julii, celebratur Festum duplex 1 classis S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, proprium Diocesis Mechli-

tur (Q. 104, IV); et dicuntur Vesperæ integræ de Festo personæ dignioris, cum Commemoratione numquam omissa Festi personæ minus dignæ. Tunc, ait Rubrica (Tit. XI, n. 2), « servetur hic ordo, ut Festa Domini præferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras; sicuti Festa Beatæ Mariæ, Festis Sanctorum: item Festa Angelorum, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Joseph Sponsi Beatæ Mariæ Virginis, et Apostolorum, cæteris aliis. » Pro cæteris aliis Sanctis nulla amplius fit dignitatis distinctio.

NOTA. S. Rituum Congregatio, per Decretum 30 Julii-II Augusti 1901, *Romana*, resolvit quod Festum S. Barnabæ, II Junii, duplex majus, ejusque Officium, in concurrentia et concurrentia cum Festis et Officiis aliorum Sanctorum, necnon in repositione, cæteris paribus est præferendum, ratione dignitatis Apostolicæ. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 465.)

Exempla: Die 14 Maji, supponitur occurrere Festum Ascensionis Domini, duplex 1 classis, primarium; die 15 Maji, celebratur Festum Diocesanum S. Dymphnæ, Virginis et Martyris, ritu duplici 1 classis, in locis quorum est Patrona, et in Ecclesiis quarum est Titularis; est etiam hoc Festum primarium; præterquam quod jam fiat ratione solemnitatis Festi, etiam ratione dignitatis personæ Christi Domini, dicuntur integræ Vesperæ concurrentis Festi Ascensionis Domini, et S. Dymphnæ fiet tantum Commemoratio.

Si Festum S. Joseph, duplex 1 classis, a 19 Martii transferri contigerit ob occursum Dominicæ Passionis in Feriam II sequentem (cfr. Q. 172, ad 8), in locis quorum S. Benedictus, Abbas, 21 Martii, est Patronus, in Ecclesiis quarum est Titulus, ubi celebratur hujus Sancti Festum ritu duplici 1 classis, concurrunt duo Festa ejusdem qualitatis; rescripsit S. Rituum Congregatio, quod in casu « Vesperæ erunt de S. Joseph cum Commemoratione S. Benedicti. » (Decreta 24 Maji 1901, *Dubiorum*, ad 6; et 13 Junii 1901, *Ordinis S. Benedicti*, ad 2; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 400 et 402.) Etenim Festum S. Joseph, etsi translatum, non amittit ex eo sua jura tum Festi ex solemnioribus, tum personæ dignioris.

Die 4 Augusti, celebratur Festum S. Dominici, Confessoris; die 5, Festum Dicationis S. Mariæ ad Nives; die 6, Festum Transfigurationis D. N. J. C.; tria hæc Festa sunt duplicia majora, et primaria; habita ratione dignitatis personæ, dicuntur Vesperæ die 4 integræ de sequenti Festo Dicationis S. Mariæ ad Nives, cum Commemoratione præcedentis Festi S. Dominici; die 5, integræ de sequenti Festo Transfigurationis Domini, cum Commemoratione præcedentis.

5° Quando duo Festa sunt in omnibus æqualia, Vesperæ dimidiantur juxta regulam secundam in præcedenti responso ad Q. 186 datam.

Exempla: « Quando Dedicatio propriæ Ecclesiæ occurrit vel concurrat cum Festo Titulari ipsius Ecclesiæ, et Festum Titulare est Transfiguratio Domini vel SS. Redemptor, in occurso vel concursu quodnam est præferendum? » Ad hoc dubium S. Rituum Congregatio respondendum censuit: « Quum enuntiatus Titulus sit Festum Domini, in occurso Festum Titulare præferendum est Dicationi: in concursu Vesperæ dividantur. » (Decret. 4 Martii 1901, *Utinen.*, ad 1; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 332.) — In casu enim utrumque Festum est ejusdem ritus et classis; utrumque est primarium, nam etiamsi Festum SS. Redemptoris per se sit secundarium, quia Titulus est rationem habet Festi primarii (cfr. Q. 108, Nota II); utrumque est Festum Domini; ergo prior pars Vesperarum dicetur de Dicatione, a Capitulo fiet de Titulari, et dicetur Commemoratio præcedentis, nempe de Dicatione.

Anno 1902 transferri debuit Festum Sacræ Familiæ Jesu, Mariæ et Joseph, duplex majus, et alicubi translatum fuit ad Feriam V post Cineres; in secundis suis Vesperis concurrat cum primis Vesperis Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C., cujus Officium apponitur Feria VI post Cineres; datur concurrentia, et utrumque Festum est ejusdem ritus et classis, ejusdemque qualitatis nempe secundarium. S. Rituum Congregatio, cui dubium fuerat propositum circa ordinem Vesperarum in casu, rescripsit: « Dividantur Vesperæ juxta Rubricas. » (Decret. 4 Martii 1901, *Atrebaten.*; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 131.) Hoc Decreto S. Rituum Congregatio saltem implicate declarat, Festum Sacræ Familiæ esse Festum Domini; ergo Festa concurrentia æqualia jam sunt etiam ratione dignitatis; restat ut Vesperæ dividantur.

Die 18 Julii, celebratur Festum S. Camilli de Lellis, Confessoris, duplex minus; die 19 Julii, Festum S. Vincentii a Paulo, Confessoris, item duplex minus; sunt Officia æqualia quoad omnia; concurrat Officium S. Camilli secundis suis Vesperis cum primis Vesperis Officii S. Vincentii; Vesperæ incipiuntur ab Officio S. Camilli concurrentis, a Capitulo usque ad finem dicuntur de Officio S. Vincentii, et addetur Commemoratio ex secundis Vesperis Officii S. Camilli.

Die 27 Septembris, celebratur Festum SS. Cosmæ et Damiani, Martyrum, semiduplex primarium; concurrat cum sequenti Festo S. Wenceslai, Martyris, item semiduplex primario; Vesperæ incipiuntur ab Officio SS. Martyrum, et a Capitulo dicuntur de sequenti Officio S. Martyris, cum Commemoratione præcedentis.

NOTA. Præfatæ regulæ ritus, qualitatis et dignitatis,